



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 20. Universalis Jubilæi festivitas Romæ celebrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

„super re vehementer Parisiensem Epi-
 „scopum sollicitavimus, ast per integros
 „septem annos, quibus hæc caussa fuit
 „agitata, nihil ab eo impetrare potui-
 „mus, etiamsi hic Præsul malo reme-
 „dium opponere sæpius pollicitus esset: „
 Præterea Facultas unacum hac epistola
 transmisit Genevensium Bibliorum
 exemplar, necnon utramque editionem
 Bibliorum, quæ Renatus Benedictus
 divulgabat, ut hæc Biblia Archiepi-
 scopus cum Genevensibus conferre pos-
 set: adjunxit quoque Facultas censu-
 ras a se latas præter acta congregatio-
 num, quibus semper Narbonensis Ar-
 chiepiscopus interuit: insuper die de-
 cima nona Decembris ejusdem anni a
 partu Virginis millesimi quingentesimi
 septuagesimi quarti Facultas ad Arnal-
 dum Sorbonæ Doctorem, ac Senonensis
 Ecclesiæ Theologum, atque Archidiaconum
 Romæ pariter commorantem lite-
 ras dedit, ut illum ad prosequendam hanc
 causam contra præfatum Benedictum
 induceret. Ceterum in annorum se-
 quentium historia hujus negotii exi-
 tum perspiciemus.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1574.

§. XX.

*Universalis Jubilæi festivitas Roma
 celebrata.*

R 3

Ineunte

Sæcul. XVI.
A.C. 1575

*Spond. hoc
ann. n. I.
Ciacon. in
vit. Pontif
t. 4. pag. 8.*

Ineunte Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto universale Jubilæum, cujus initium antea retulimus, fuit inchoatum, quamplurimis Principibus Romam confluentibus, atque inter alios ibi aderant Magnus Etruriæ Dux, Alexander Farnesius Parmensis Princeps, Paulus Jordanus Ursinus, & Carolus Fridericus Clivienfis Dux, qui nonnisi viginti annorum juvenis ibidem die nona Februarii vivis ereptus in Teutonica sanctæ Mariæ Ecclesia sepultus est: insuper ipse summus Pontifex quatuor Basilicas pro lucrandis indulgentiis designatas sancti Petri, sancti Joannis Lateranensis, Divi Pauli, & sanctæ Mariæ Majoris sæpius lustrabat, atque genibus reptans, prout moris est, Sacram, ut vocant, Scalam conscendit, providitque, ut Urbs annona copiose abundaret, atque ædes Pontificiæ exteris paterent, necnon egentes amplis largitionibus juvarentur.

§. XXI.

*Collegium Nobilium a sancto Carolo
Borromæo erectum.*

*Giussano vie
de S. Charles
l. 3. c. 4.*

Priusquam sanctus Carolus Borromæus Mediolanensis Archiepiscopus, qui pariter ad celebrandam Anni sacri festivitatem invitabatur, Romam contendende-